

superiore bello in Hispaniam legatus fuerat, romanam legationem sæpius, præcipuusque magistratus cum urbanos tum provinciales obiverat. Eximiis hisce virtutibus fortuna quoque ipsa favere videbatur, quod in ea involuta comitiorum ratione plures reliquis suffragatores sortitus esset. Competitorum præstantia, Patrum varii affectus electionem protraxere, cum, præter morem, decem ac septem dies in conclavi morarentur: quæ res collegii Patres impulit, ut scripto gravissimis Reipublicæ negotiis exaratis, ad novum Principem renuntiandum electores incitarent, quod, defuncto Principe, ex lege, nisi successore creato, Senatus cogi non poterat. Tandem nono kal. maji Marinus Grimanus Princeps creatus, ingenti adeo civitatis lætitia, ut insuetis acclamantum populorum vocibus, illius ac familiæ undique nomen personaret; eoque infimæ plebis levitas prolapsa est, ut tribunalia magistratumque publica sedilia in medium abstracta forum concremarit: neque alio unquam tempore adeo fese popularem licentiam libidinemque extulisse memorabatur: Quæ ex re quinque corrigendis legibus Senatores præfecti, his iniitiis, ne pessimo exemplo essent, obviam cundum censuere. Majoribus comitiis severioribus legibus in petendo principatu ambitus coercitus, electoresque arctiori sacramento obstricti: veteri quoque consuetudini, ne, defuncto Principe, concilia cogerentur, modus adhibitus: Præconsultoribus ac Decemviris ea comitia interdicta: gravioribus in rebus, quæ ad Reipublicæ statum attineant, Decemvirum collegium ac Senatum vocari posse, latum.

*Marinus
Grimanus
Dux eligi-
tur.*

Graves ab inito Grimani principatu inter Clementem ac Venetos ob Cenetenses controversiæ ortæ, quæ postea per multos annos Senatum exercuere. Ii cum in intimiore Venerum ditionum sinu siti sint, non abs re futurum existimo, si ad ea, quæ de civitate Cenetensi supra narravi, nonnulla hoc loco attexam. Illud sane compertum est, cum maritimis rebus Veneti inclaruissent, atque in remotas Europæ Asiæque regiones signa sustulissent, tum demum imperium in continentem ad finitimarum injuriarum propulsandas protulisse; qui cum æquo animo præclararam florentemque Rempublicam aspicere non possent, in æstuariis sitam urbem amnibus, qui

*Lex de
Præconsul-
toribus &
Decemviris
ad comitia
Ducalia
non admit-
tendis.
Cenen-
ses conten-
tiones.*

in